

DE UNICORNU. 129

Commentariorum belli Gallici, quæ malè *Iulii Celsi* cujusdam, exscriptoris forsan vel censoris ejusdem operis, nomine in MS. *Antoniano* Venetiis inscribuntur, quod ab imperito alio ex margine libri in textum successit. Inveniri etiam in Borussia Bizontes Unicornes circa calcem Lib. 1. Antiq. Boruss. refert *Erasmus Stella*. Bizontes verò à Tauris parvo separantur discrimine, quos Germani vocant *Ubroxen*. Ab Uris distinguuntur & Bubalis *Plinio* & *Solino*, illi lib. 8. cap. 15. huic cap. 20. de Mirabilibus mundi. Ex quorum utroque Bisontem penitiùs inspiciens, Unicornem Bisontem in Borussia frequentem, illum arbitror esse, quem in Hercynia describit *Cæsar*. Enimverò Bisontes jubatos Germaniæ proprios notat *Plinius*, & pressius ad rem *Solinus* in tractu saltus Hercynii, & in omni Septentrionali plaga Bisontes frequentissimos narrat, qui bovis feri similes, setosi colla, jubas horridi, ultra tauros pernitate, capti assuescere manu

F 5

ne-